



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Collegiis Canonicorvm Per Germaniam, Belgivm,
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani
Prouincias, Liber Singvlaris**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1615

Capvt XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11227

Præter has quatuor collegias Ecclesiæ,
erant in vrbe Argentinensi totidem Parochiæ
S. Aureliae, S. Andreae, S. Martini, & S. Nicolai.
Ita Franciscus Guillimannus lib. de Episcopis
Argentinensibus, cap. 9.

CAPUT XII.

S. SERVATII COLLEGIVM TRA-
iectense ad Mosam in d. Leodiensi.

Seruatus Tungrorum Episcopus, eo
tempore quo Hunni Germaniam va-
stabant, ne ciuitatis atque Ecclesiæ suæ vide-
ret excidium, Domini reuelatione commo-
nitus, transiit ad vicum Traiectensiū, ibi q; de-
functus & sepultus est. Ob cuius meritū omni-
bus demonstrandū, cùm tempore hiemis om-
nia in circuitu nix repleret, nunquam sepul-
chrum eius operuit, donec industria ciuium
Basilica supra ipsum ædificata est à successore
eius *S. Monulpho*, qui octauus ab eo inter Epis-
copos Traiectenses recensetur.

Fuit autem, ut Gregorius Turonensis Epis-
copus scribit, vir eximiæ Sanctitatis, qui vigi-
lijs ac ieunijs vacans, crebrò lacrymarum im-
bre perfusus, misericordiam Domini preca-
batur, ne vnquam Hunnorum gentem incre-
dulam in Gallias venire permitteret. Sed sen-
tiens per spiritum, pro delictis populi hoc si-
bi non fuisse concessum, Romam iuit ad B.
Petri

30 DE CANONICORVM

Petri tumulum, vt adiunctis sibi Apostolicae virtutis patrocinij, quæ flagitabat, mereretur facilius obtainere. Ibi verò multis diebus sese oratione & maxima inedia affligens, responsum accepit, à Domino sancitum esse, ab Hūnis Gallias depopulandas, ipsius autem oculos ea mala non visuros. Quo responso suscepito, celeriter rediit ad urbem Tungrorum; valeque dicens clericis ac reliquis citibus urbis, denunciat illis cū fletu, quia nō visuri esent ultra faciem suam. Itaq; ad Traiectensem urbem accedens, modica pulsatus febre, recessit à corpore; ablutusque à fidelibus, iuxta pontem aggeris publici est sepultus.

Collegium porrò ac templum S. Seruatiij Traiectense fundationem ac Dotem suam debent Sancto Monulpho Traiectensi Episcopo, qui, vt Gregorius Episcopus Turonensis attestatur, *Magnum templum Traiecti in honorem Sancti Seruatiij construxit, composuit, & ornauit: in quod multo studio, & veneratione translatū corpus magnus virtutibus pollet.* Clericos Deum timentes ibidem instituit, quos monuit semper secundum canonica instituta in omnibus viuere. Prædiorum suorum, inter quæ est castrum Dionantum Beatū Seruatium scripsit hæredem, in cuius Ecclesiæ medio omnibus dignè peractis, sepultus est, postquam 39. plus minus annis fuisset Episcopus.

In Collegio Seruatiano Canonicatum ob-
tinet

tinet Dux Brabantiae, ut Rex Galliae in collegijs Turonensi, Andegauensi, & Cabilonenzi.

S. MARIAE COLLEGIVM TRAIE-
ctense ad Mosam.

HVius Collegij originem nonnulli rerum Leodiensium scriptores S. Monulpho Episcopo Traiectensi adscribunt. Memini me legere in Rubræ Vallis monasterio apud Bruxellam. Hæc ferè verba in manuscripto chronicō Episcoporum Leodiensium: S. Monulphus Traiecti Ecclesiam B. Mariæ fundavit, eoque sedem transtulit Episcopalem, in qua præsederunt decem Episcopi Traiectenses, quorum ipse fuit primus, & S. Hubertus ultimus. Alij tamen id negant; & scribunt S. Monulphum circa annum Christi 581. templum honorificum Traiecti in honorem S. Seruatij ædificasse, atque in illud corpus S. Seruatij ac sedem Episcopalem transtulisse. Vide Gregorium Turonensem libro de gloria Confessorum capite septuagesimo secundo.

Obiit autem S. Monulphus anno 609. in templo Sancti Seruatij sepultus, ut diximus.

In hoc templo adseruatur magna pars Crucis Dominicæ, cum veteri inscriptione Græca: de qua vide Gretserum lib. de Cruce.

CAPUT